

AD PRAECINENDVM IN CANTICIS DAVIDIS.

ARGVMENTVM PSALMI.

**P**salmi argumentum planè commune est multis alijs. Nihil enim aliud complectitur, quàm precationem & fiduciam erga Deum, & postremò promissam gratiarum actionem. Est autem Psalmi expositio duplex. Nam pars illum exponunt de Davide: pars de populo Dei, qui pro se & pro rege suo ista ad Deum dicat. Et isti posteriores videntur non frustra moueri per versus 6. & 7. Et horum occasione & nos hunc Psalmum tanquam precem, fiduciam & gratiarum actionem populi Dei, pro salute sua & regis sui, interpretabimur.

Diuisio Psalmi.

Habet autè Psalmus iste tres partes. Prima continet tres versus priores: altera, 4. 5. 6. 7. tertia, postremū.

VERS. I.



**V**DI Deus clamorem meum, intende orationi meae.

2. *A* finibus terrae ad te clamo, dum anxiatur cor meum: in petram subduc me editiorem, quàm ut ego illam conscendere queam.

3. *Q*uia factus es spes mea, turris robusta à face inimici.

4. *H*abitabo in tabernaculo tuo in seculo, fiducialiter agam sub velamento alarum tuarum. Selah.

5. *Q*uoniam tu Deus audisti vota mea, dedisti hereditatem timentium nomen tuum.

6. *D*ies super dies regis adicies, annos eius generationi ac generationi aequabis.

7. *S*edebit in seculum & in conspectu Dei, bonitas & fides seruabunt eum.

8. *S*ic psallam nomini tuo in sempiternum, ut reddam vota mea quotidie.

LECTIO.

Vers. 2.

Vers. 4.

Vers. 7.

*Editiorem, quàm ut ego illam conscendere queam.* ] Ebr. ירם מרום id est, Excelsam pra me Græc. & vulg. Lat. In petra exaltasti me. Hieron. Cum fortis eleuabitur aduersum me, tu eris ductor meus.

*Fiducialiter agam.* ] Ebr. אהסח Græc. & vulg. Lat. Protegar. Hieron. Sperabo. Felix: Confidam.

*Bonitas & fides seruabunt eum.* ] Ebr. חסד ואמת מן ינצחתי Græc. & vulg. Lat. Misericordiam & veritatem eius quis requiret?

PRIMA PARS.

Primis tribus versibus clamat populus ad Deum, ex corde angustiato, præ metu inimicorum orans primùm audiri, deinde in petram sublimem ac tutam subduci, quam vocat sublimiorem, quàm ut ipse eam, per se videlicet, conscendere queat: quæ nihil est aliud, quàm certa ac solida securitas ac protectio contra inimicos, & velut rationes adijcit, dicens: *A finibus terrae*: id est, vndiq; ex vniuersa terra, vbicunq; locorum, & quàm longissimè à tabernaculo tuo dissitus, *ad te clamo, dum anxiatur cor meum.* (Videtur autè Psalmus factus, cum fines regni sui David prorogaret, & populus cum circumiacentibus inimicis bellum gereret.) Est autem hæc ratio in eo, quòd dicit se in angustijs cõstitutum nusquam confugere, ad neminem clamare, quàm ad ipsum Deum. Ità & Psalm. 5. dicit David: *Intende voci clamoris mei, Rex meus & Deus meus, quoniam ad te precem meam fudo.* Item: *Quia tu es spes mea, turris robusta, à facie inimici.* Hæ rationes locum habent, vbi regnat bonitas & fides, quibus fit, vt deseri nequeant sperantes & clamantes ad Deum. In hoc seculo longè secus apparet

OBS. I.

Vnitatis Ecclesie.

Vnitatem populi Dei, per totum Orbem sparsi, notat August. hoc Psalm. faciens hanc precem. vnitatis Ecclesiasticæ vocem, qua corpus illud Christi in omnibus membris suis à terræ finibus ad Deum clamat. Et certè quasi vnus homo redduntur tot millia fidelium, vbiq; terrarum agentium, fidei, spei & inuocationis vnitatem. Ecclesia Christi est, quæ in medio inimicorum agit, premitur & angustiat, vsq; ad fines terræ. Illa clamat non solum ex Germania, Italia, Gallia, Hispania, ad Deum, sed ab ipsis terræ finibus, vna prædita fide & spe, qua ex animo clamat, ac dicit: *Audi clamorem meum Deus.* Ab hac vnitatem dissentiant, qui Ecclesiam Christi in angulum Romanæ ecclesiæ coarctant, caput illi præscribentes, quod vitam tam talè diffuso corpori, imò ne proximis quidem membris præstare non potest. Ab hac longè absunt, qui spem ponunt in creaturis, non in vnum omnium creatorem.

OBS. 2.

*Dum anxiatur cor meum.* ] Iterum videmus cordis anxietatem, & anxij cordis clamorem deprehendi in populo Dei: qui tamen ex animo vera fide dicit ad Deum: *Tu es spes mea, turris robusta,* &c cuius illum tam nõ pudet, vt & ad Deum oratio mentionem illius faciat, & illius nomine exaudiri petat.

SECUNDA PARS PSALMI.

Hæc populus Dei concepit ex precatione, imò corroboratam fiduciam & animi securitatè de firma & inuicta sui ac regis sui protectione exprimit, qua gloriatur se perpetuò per protectione Dei tutum fore, & regem suum vita potiturum longæua, & per bonitatem ac veritatem Dei prosperè ac foeliciter inuitis omnibus inimicis regnaturum. De se ipso canit vers. 4 & 5: *Habitabo, inquit, in tabernaculo tuo in secula, fiducialiter agam in velamento alarum tuarum.* Vnde ad eò securus sit, subiungit: *Quoniam tu Deus audisti vota mea:* id est, preces meas, *dedisti hereditatem timentium nomen tuum.* Per hereditatem hæc intelligit terram illam, quam hæreditariò Israëlì dederat Deus: & per timentes nomen Domini: id est, colentes nomen Domini, patres Abraham, Isaac & Iacob, quibus ea terra

B

“  
“

V  
ne  
ha  
velit fa

Nihil  
modo per  
habet pro  
nam oppr  
probos, va  
cor versib  
nec in cal  
uiderit,